

7
B. C. D.
DISSERTATIO HISTORICO - THEO-
LOGICA

De
PURGATORIO

PONTIFICIORUM,
Utrum claris testimoniis S. Augustini
solidè probari possit?

Scriptori Anonymo Pontificio opposita,
& Auxiliante Divini Numinis gratia in
Illustri Academia Jenensi

P R Æ S I D E
DN. JOH. GVILIELMO BAJERO,
SS. Th. D. & Prof. Publ.

Dn. Patrono ac Præceptore suo omni observantiæ & amo-
ris cultu æternùm prosequendo

Publicæ ventilationi exposita

à
M. WOLFFG. CONRADO Schumann/
Gunzenhusâ-Franco.

IN AUDITORIO THEOLOGICO
Ad diem 22. Mensis Novembr. Anno M. DC. LXXIX. Nov. 1679

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.

VIRIS

*Plur: Reverendis, Excellentissimis, Amplissimis, admodum
Reverendis & Praclarissimis*

DN. WOLFFGANGO Schumann/
Ecclesiae Gunzenhusanae Antistiti, ac Reverendi Capituli
ibidem ultra triginta annos Decano meritissimo.

DN. CONRADO Majern/ Ecclesiae
Langenzennensis Antistiti vigilantissimo, ac Vicinarum
Decano gravissimo.

DN. M. CASPARO Becken/ Pastori
Ecclesiae Merckendorffensis longè dignissimo, & laudati
Capituli Gunzenhusani Seniori spectatissimo.

DN. M. CASPARO ADAMO Schumann/
de Ecclesia, quae in Sausenhofen Christo colligitur, Pasto-
ri praeclarè merito, ac praeaudati Capituli Seniori
spectabili.

**DN. JOHANNI WOLFFGANGO
Bürgern/** Pastori Thalmessingensium Pri-
mario dignissimo & fidelissimo.

**DN. BALTHASARI GEORGIO Schu-
mann/** Pastori Ecclesiae Pfofeldensis perquam vigi-
lanti & solertissimo.

*Dominis, Parenti, Susceptori, Affinibus
& Fratibus*

*omni pietatis, observantiae & amoris cultu jugiter
prosequendis, specimen hoc Academicum
offert, dicat, consecrat*

M. WOLFFGANG CONRAD Schumann.



I.

Rodit elapso anno M DCLXXVIII. Hannoveræ, ex officina Wolfgangi Schwendimanni, Typographi Ducalis aulici, scheda Germanica, sub titulo: Catholische Glaubens-Lehr vom Fegfeur / mit klaren Zeugniſſen / aus dem S. Augustino bewehret; Nebenſt Entdeckung vier grober Irrthümer des Dorchæi, indem er vorgibt / daß Bellarminus das Fegfeur aus den S. H. Vätern nicht habe erweiſen können; Aufgeſetzt bey Gelegenheit / da ein vornehmer Lutheriſcher Theologus, ſonderlich aus dem Dorchæo behaupten wolte / daß der S. Augustinus kein Fegfeur geglaubet / ſondern nur zweifelhaft davon geſchrieben habe. Nomen Auctoris expreſſum illic non eſt; nobis tamen teſtes $\alpha\lambda\theta\iota\sigma\tau\iota\sigma\iota$ perſuaſerunt, eſſe illum Dn. NICOLAUM STENONEM, Vicarium Pontificis & Episcopum Titopolitanum, cujus alia plura pro Eccleſia Pontificia, & quoad rationem tractandi ſimilia Schediaſmata, cum Florentiæ tum Hannoveræ haſtenus edita fuerunt.

II. In ipſo ſchediaſmate, equidem præter diſputationem de Purgatorio, Auguſtini auctoritate ſtabiliendo, alius quoque ſub finem diſcurſus habetur, quo oſtendere ſe poſſe putat Auctor, tutiorem eſſe rationem & tranquillandæ conſcientiæ convenientiorem, ſi quis verbum Dei, prout ab Eccleſia proponitur, pro vero Dei verbo habeat; quàm ſi tantum verbò ſcriptò, ſine reſpectu ad eum cœtum, qui illud proponit, contentum ſe eſſe poſſe judicet. Sed hæc peculiaris quæſtio eſt, quam hæc vice ingredi & pertractare non eſt noſtri inſtituti; cum huic, quam titulus indicat, inherere decretum ſit.

III. Interim hõc indiciõ facilè animadvertimus, ſepoſitã quæſtione de Eccleſiã, Scripturæ interprete & controverſiarum iudice; in ipſa etiam ſpecialis quæſtionis, de Purgatorio, tractatione



ne



ne, non passurum Auctorem, ex Scripturis adversus se disputari. Quamquam enim pag. 8. affirmet, *nihil è Scriptura S. à Nostratis afferri, quod doctrina de Purgatorio adversetur*; si tamen vel maximè & accuratissimè urgeas, quæ Nostrates hactenus è Scripturis contra Purgatorium solidè & utiliter disputarunt; in promptu nihilominus Auctori erit responsio; peti ista è Scripturis, juxta privatam Lutheranorum interpretationem intellectis, sine respectu ad Ecclesiam, quæ sola Scripturæ interpres infallibilis sit. Ac nos quidem ex hæc, pluribus Pontificiis pridem ac nuper recepta, disputandi methodo, non difficulter intelligimus, quod & majores nostri intellexerunt; Romanæ Ecclesiæ Doctores, cum expendunt, quantum periculi metuendum sit religioni suæ, tot humanis commentis interpolatæ, si examen ad Scripturæ normam accuratè instituendum subire debeat; aliam omnem potius quàm hanc rationem disputandi, quæ Scripturâ tanquam principio & normâ sincerè nititur, eligere; ac dolere cum *Alberto Pighio* Cardinali, hinc tantum *incendium* in Ecclesia excitatum esse, quod *cum Lutero* à quibusdam, qui inter primos illum impugnare, *in certamen scripturarum descensum* fuerit. *Lib. I. de Eccles. Hierarch. cap. 4. fol. 16.* Dum verò de his prolixius agere nunc non licet, ducente Auctore, ad Antiquitatis tribunal accedemus, & causam illic agenti respondebimus.

IV. Sed & hîc protinùs observamus, non deesse homini Pontificio, quò se excuset, si maximè causa ceciderit. Nam quemadmodum in dictis Scripturæ, ita in Patrum dictis interpretandis, iudicio Ecclesiæ standum esse putant Pontificii, ut si ipsos audias, non tam credendum sit, Patres dicere, quod dicunt, aut quod verba ipsorum ex usu loquendi, & juxta contextum atque analogiam aliorum locorum significant; sed quod ipsos dicere Romana Ecclesia testatur: & prout *Guil. Bailius* in *Catech. Controv. Controv. XIV.* scripsit; *nullum esse ex Patribus, qui non humillimè censure & iudicio Ecclesiæ se submittat.* Aut si maximè ostenderis, nostræ potius sententiæ favere Patres, quàm Papistarum; respondebit alius ex *Bellarmino*; *scripta Patrum non esse regulas, nec habere auctoritatem obligandi. Lib. II. de Concil. Cap. XII. §. Dico secundo.* aut ex *Duræi defensione pro Campiano contra Wittak. rat. 5. fol. 140.*
Patres

Patres non censerè Patres, cum suum aliquid, quod ab Ecclesia non acceperunt, vel scribunt, vel docent. Ita fiet, quod Comicus, similitudine à sapientibus bestiolis petitâ, docet, ut, si unum ostium obsideatur, aliud geratur per fugium.

V. Quamquam verò hæc non eò animò à nobis dicuntur, quasi Patres controversiarum iudices cum auctoritate irrefragabili obligandi ad assensum; aut sententias eorum normam controversiarum fidei esse cupiamus; quippe qui potius ad exemplum Augustini ipsius, solis iis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didicimus hunc honorem timoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmissimè credamus: Alios autem ita legimus; ut quantalibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putemus, quia ipsi ita senserunt, sed quia nobis vel per illos autores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, persuadere potuerunt: ut habent verba Ep. XIX. quæ est ad Hieron. eam tamen saltem operam non inutilem esse credimus; si, cum Pontificii ad probandam antiquitatem dogmatum eorum, quæ nostri aliena à Scripturis, & ab humano ingenio excogitata atque adeò ferè in Ecclesiam introducta esse dicunt, ad Patrum scripta sic provocant, ut sepositâ tantisper interpretatione Ecclesiæ, liberè illa scrutari permittant, & nihilominus se ex iis dogmata sua confirmare posse sperent; ipsi ab hoc præsidio dejiciantur, ac pateat orbi Christiano novitas errorum Pontificiorum, quodque minimè omnium nitantur antiquitatis suffragiis, qui antiquitatem omnium maximè jaculant, atque hòc nomine tantum ad terrendos alios utuntur.

VI. Itaque etiam illud, quod de Purgatorio in Ecclesia Romana receptum est, dogma recentius esse pronunciamus, quam ut puriori ætati approbatum & reverè Ecclesiasticum fuerit. Et quando Auctor schediafmatis pag. 8. confidenter scribit, S. August. & alios Sanctos Patres doctrinam Romane Ecclesie de Purgatorio pro articulo fidei habuisse; Concilia etiam eandem tanquam articulum fidei proposuisse: venit in mentem, quod pridem alii Ecclesiæ Romanæ Doctores scripserunt, Purgatorium antiquis temporibus ignoratum fuisse. Ita enim Joh. Fischerus, Episcopus Rosenfis in Anglia, & Ecclesiæ Rom. Cardinalis, quem eruditionis

A 2

copie

zopi pietatis sinceritate, & animi constantiâ cuiq; ex sanctissimis &
acerrimis ecclesie propugnatoribus merito comparandum dicit Sixtus
Senensis, Lib. IV. Bibl. S. p. m. 332. cùm Lutherum impugnaret, artic.
XVIII. fassus est, DE PURGATORIO APUD PRISCOS NULLAM VEL
QUAM RARISSIMAM factam esse MENTIONEM; & notanter addit: *Le-
gat, qui velit, Græcorum veterum Commentarios, & nullum, quan-
tum opinor, aut quàm rarissimum de Purgatorio sermonem inve-
niet. Sed neque Latini simul omnes, at sensim hujus rei verita-
tem conceperunt. --- NEQUE TUM NECESSARIA FUIT PRIMITIVÆ EC-
CLESIE, PURGATORII FIDES.* Et similiter Alphonsus à Castro, quem
idem Sixtus, l. c. p. m. 236. virum acri ingenio, & hereticorum ho-
stem acerrimum appellat, lib. 8. adversus hæres. DE PURGATO-
RIO FERÈ NULLAM IN ANTIQUIS SCRIPTORIBUS MENTIONEM ESSE
agnoscit; & quidem potissimum apud Græcos scriptores: *QUA
DE CAUSA USQUE IN HODIERNUM DIEM PURGATORIUM NON SIT À
GRÆCIS CREDITUM lib. 8. adv. hæres.* Unde cùm adversis frontir-
bus pugnent hæc assertiones, quarum altera dicit, *doctrinam de
Purgatorio in veteri Ecclesia pro articulo fidei habitam fuisse; al-
tera, fidem purgatorii non fuisse necessariam primitivæ Eccle-
siae; & sic à Græcis, sicut olim, ita usque in hodiernum diem non
esse creditum, statuit; illa à Sanctis Patribus & Conciliis do-
ctrinam de purgatorio, tanquam articulum fidei, propositam
fuisse; hæc, purgatorii nullam vel quàm rarissimam mentionem
apud priscos factam esse; nullum aut quàm rarissimum de Purgato-
rio sermonem in Græcorum veterum Commentariis inveniri, sed
ne Latinos quidem simul omnes. & sensim hujus rei veritatem con-
cepisse; denique de purgatorio ferè nullam in antiquis scriptori-
bus mentionem esse docet: cùm, inquam, has assertiones adversis
frontibus pugnare apertissimum sit; profectò Dn. Stenoni, seu
quis alius Autor est Schediasmatis, non tam cum Theologo Lu-
therano, quàm cum istis Romanæ Ecclesiæ nominatissimis Theo-
logis decertandum fuisse, videri poterat. Et fatendum utique est,
minimè credibile esse, Fischerum & Alphonsum à Castro, antiqui-
tatis Ecclesiasticæ neutiquam imperitos viros, in præjudicium Ec-
clesiæ Romanæ scripturos fuisse, quòd dogma de Purgatorio pri-
scis ignoratum, neque creditu necessarium fuerit, si tamen hoc
priscis*

priscis & cognitum & pro articulo fidei habitum ac propositum
fuiſſet.

VII. Imò verò & hoc concedendum eſt, non qualem-
que Patrum allegationem & dicta quâcunque ratione excerpta,
ſive extorta aut emendicata ſuffragia ſufficere, ut probetur, ſenten-
tiam aliquam reverà Patribus receptam, & ab iisdem tanquam
articulum fidei, aut dogma toti Eccleſiæ Chriſtianæ commune,
propositam fuiſſe. *Sunt enim, fatente ipſo Sixto Sen. in præfat.
Lib. V. Bibl. p. m. 409. perversi quidam homines detestandis erro-
ribus addicti, qui dum hæſes ſuas facilius perſuadere volunt,
captant plerumque ex orthodoxis veterum expoſitorum (Docto-
rum) commentariis ſententias quasdam aut obſcurè ſcriptas aut
per incuriam ab iis prolatas, easque ad perſidiæ ſuæ confirmationem
pertrabunt, ne ipſi aut primi aut ſoli talia ſentire videantur. Sunt
etiam, eodem p. ſeq. monente, ſimplices quidam & incauti le-
ctores, qui ſine ullo iudicio atque obſervatione in lectionem illuſtri-
um expoſitorum (Doctorum) oſcitanter feruntur, cunctaq; ſine
ullo discrimine, ac delectu vorant atque deglutiunt, minimè diſ-
cernentes, quâ de cauſa ea quæ ipſi legunt, ſcripta ſint, quibus affe-
ctibus, quibus occaſionibus, locis, temporibus, ac perſonis accommo-
data, num diſputandi, num opponendi, aut increpandi gratiâ dicta
ſint, vel ſub certæ aſſeverationis definitione firmata: quæ dum incon-
ſiderati lectores non advertunt, neceſſe eſt eos plerumque labi in ali-
quot errores, quos in expoſitorum (Patrum) lucubrationibus vel i-
pſi authores tam per occaſionem, quàm per incuriam reliquerunt, vel
hæretici per fraudem intruſerunt.*

VIII. Itaque, quâ ratione Auctori in aſſerendo ex Patrum di-
ctis Purgatorio procedendum fuerit, facilè intelligi poteſt: ſcilicet,
ut nomina, & verba Patrum aſſerens, ſimul intentionem ſcriben-
tium ex antecedentibus & conſequentibus, ex occaſione, ſcopo,
materia & aliis cauſis declararet. Et quemadmodum cum Rex
Magnæ Britanniæ, Jacobus, Catholici nomen ſibi tribuiſſet, eò
quòd eandem de rebus fidei ſententiam cum Patribus quinque pri-
morum ſeculorum amplecteretur, Cardinalis Perronius in *Ep. ad
Caiſaubonum*, inter alia monuit; non fatiſſe, ad communionem
cum veteribus colendam, credere, quæ iſti crediderunt; ſed requi-

ri, ut hæc eadem ratione, eodemque necessitatis gradu credantur, quibus illi crediderunt, & existimetur ad salutem esse necessarium, quod illi ad salutem necessarium judicarunt; utile autem solum credatur, quod illi utile putarunt, denique quas illi sententias credi æquè ac non credi posse tradiderunt, eodem censu habeantur: Ita videat Auctor, quando doctrinam de purgatorio, tanquam articulum fidei Catholicæ sub necessitate credendi proponit, & argumenta à Patrum consensu petita promittit, an sufficere possit, si solum ostenderit, doctorem unum alterumve de purgatorio idem sensisse, quod hodiè docet Romana Ecclesia? ac non potius afferenda fuerint talia loca, in quibus non qualiscunque assertio dogmatis de Purgatorio, verum gravis assertio ejusdem tanquam articuli fidei, à tota Ecclesia, sub credendi necessitate recepti & crediti, contineatur.

IX. Et quid hoc rei est, quòd ille, plurium sanctorum Patrum & Conciliorum consensum jactitans, non tamen nisi solum *Augustinum*, cujus ætas in finem quarti & initium quinti seculi demùm incidit, audiendum exhibet? quem si maximè consentientem haberet, non tamen ideò totius Ecclesiæ antiquioris testimonio vel auctoritate niteretur. Nam &, quod pag. 7. ad *Bellarminum* provocat, qui *lib. 1. cap. 6. de Purg. clara testimonia S. Cypriani, S. Ambrosii, S. Augustini, S. Chrysostomi &c. adduxerit*; ne dicam, quòd declinati & ad alium devoluti oneris probandi speciem habet; vel eò nomine parum ad præsens facit, quòd si maximè aliquid pro purgatorio scripsisse Patres illos, posset ostendi; illud tamen, quicquid fuerit, ab ipsis, tanquam fidei articulum toti Ecclesiæ probatum & receptum, propositum esse, ne ipse quidem Bellarminus demonstrare ausus fuerit; sed tantum Patres illos utilitatem precum pro defunctis, aut statum aliquem tertium præter beatitudinem & damnationem, qui ante resurrectionem mortuorum locum habeat, agnovisse, disputans, satis se egisse crediderit, ut *purgatorii confessionem ad fidem Catholicam pertinere* cognoscatur: quæ quàm longe à vero absint, etsi eruditus atq; præjudiciò immunis Lector facile intelligere possit, hinc tamen etiam, cum ad ea, quæ Autor schedæ de Augustini sententia, & ex ejus scriptis speciatim attulit, responderimus, manifestissimè patebit.

X, Ut

X. Ut ergo ad AUGUSTINUM propius accedamus, & ne hunc quidem dogmati de purgatorio quod Pontificii amplectuntur, tanquam *articulo fidei*, patrocinium commodasse monstremus; primum ipsa doctrina Pontificia de purgatorio inspicienda erit, ut deinde de Augustini consensu aut dissensu rectius constet: praesertim, quod Auctor de *B. Dorischeo* scribere ausus est *pag. 8. eum planè non scivisse & intellexisse Romanæ Ecclesiæ Doctrinam de purgatorio*. Eam verò Auctor quatuor assertionibus sequentibus contineri putat, quarum Prima est; quod *animabus quibusdam à corporibus separatis, remissâ culpâ, in altera vita certa poena subeunda restent*: Secunda, quod *animabus in purgatorio existentibus utile sit, quod à viventibus pro ipsis fit*. Tertia, quod *perpetuus mos Ecclesiæ fuerit, orare pro mortuis*. Quarta, quod *haeresis sit; negare quod pro mortuis orare & sacrificare oporteat*. Et has quidem assertiones ille distinguit à dubiis propositionibus v. g. *I. an aliquas animas non per ignem purgari oporteat, sed tantum per dolorem ex jactura rerum amatarum, aut per ignem transitoria tribulationis? II. an inter secundum adventum Christi, & judicium ipsum, tempus futurum sit, purgandarum interim animarum causa; & num adeò etiam in resurrectione ante judicium pena purgationis locum sit habitura?* Sperat autem, hanc distinctione observatâ, non difficulter à se posse ostendi, quod Augustinus ipsum fidei Romanæ articulum de purgatorio omninò approbaverit, & docuerit; quod autem à nostratibus de purgatorio dubitasse perhibeatur, id non ad priora capita, aut ullum ex illis, verum ad problemata posterius memorata pertineat.

XI. Sed de illis, quæ ab Auctore exponuntur, quatuor capitibus articuli fidei de purgatorio, non abs re dubitaveris, an doctrinam Ecclesiæ Romanæ de purgatorio plenè exprimant? Nam quod ille hîc omittit sententiam de poena purgatorii per ignem infligenda; ac potius inter quæstiones annatas, atque in utramque partem disputabiles refert eam, quâ disquiritur; *an aliquas animas non per ignem purgari oporteat, sed tantum per dolorem ex jactura rerum amatarum, aut per ignem transitoria tribulationis?* in eo equidem novimus habere illum Doctores quosdam Pontificios sibi consentientes: novimus autem etiam, ex adverso, quomodo *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini* quod

quod Pontificii generale fuisse jactant, ad Parochos conscriptus, & auspiciis Pii V.P.R. editus, quò CHRISTI FIDELES DE EIS REBUS, QUAS EOS NOSSE, PROFITERI ET SERVARE OPORTERET, Parochorum suorum diligentia edocerentur; ut habent verba privilegii Papalis præfixi; purgationem animarum sine discrimine per ignem fieri doceat, idque non uno, sed tribus distinctis locis. Ita enim *Lib. I. P.I. Cap. VII. pag. 52. edit. Colon. A. 1572. in Explic. Articuli V. Symb. Apost.* qui est de descensu Christi ad inferos; cum *Tria inferorum receptacula, Infernum, Purgatorium & Limbum* describit; postquam de perpetuo & inextinguibili igne inferni disseruit; Præterea, ait, est PURGATORIUS IGNIS, quò piorum animæ ad definitum tempus cruciata expiantur, ut eis in æternam patriam ingressus pate-re possit, in quam nihil coinquatum ingreditur. Et pag. seq. 54. de fidelibus V.T. & statu eorundem post mortem, agens, his verbis utitur: *Antequam ille (Christus) moreretur ac resurgeret, cæli porta nemini unquam patuerunt, sed piorum animæ, cum è vivis excessissent, vel in sinum Abrahæ deferebantur, vel quod etiam nunc is contingit, quibus aliquid dituendum & persolvendum est, PURGATORII IGNE expiabantur.* Denique *Lib. IV. qui est de Oratione, Cap. VI. cum docet, pro quibus orandum sit; pag. 426.* orationes pro defunctis commendaturus; *Preces, inquit, quæ pro mortuis fiunt, ut ab IGNE PURGATORII liberentur, ex Apostolorum doctrinâ fluxerunt.* Ex quibus, & præsertim, quod primò locò additur: *De hujus doctrine veritate diligenter & sæpè Parocho disserendum esse;* quid aliud colligas, quàm inter cætera, quæ ad Articulum fidei de Purgatorio pertineant, hoc quoque inculcandum esse populo, quod Purgatorii pœnæ in ignis cruciatu consistant? prout etiam *Greg. de Valentia Lib. de Purgatorio Cap. I. scribit; PRO CERTISSIMO EX FIDE IN ECCLESIA CATHOLICA haberi, pœnam seu cruciatum Purgatorii in IGNE consistere; & J. Müllmannus in Assert. Cathol. de Purg. S. 1. INDUBITATUM, ait, APUD CATHOLICOS FIDEI DOGMA est, dari Purgatorium, quò nomine locum quendam intelligimus, à cælo & inferorum ergastulo distinctum, ubi animæ noxis levioribus inquinatæ, vel quæ nondum meritas in hâc vitâ penas divino judicio dependerunt, FLAMMIS EXPIATORIIS perpurgantur, antequam ad Cælum, quò nihil intrabit coinquatum, & claram Dei visionem admittantur.* Et quis nescit, totum Pon-

tifi-



tificiorum populum, ex perpetuâ Doctorum suorum informatione, de pœnis Purgatorii per ignem inferendis persuasissimum esse, & dum ad purgatorium credendum adducitur, simul ad agnoscendas flammâs expiatorias perducî? De Auctore Schediasmatis igitur fortassè dubites, an ille doctrinam suorum de purgatorio penitus sciat, aut intelligat, quando à doctrinâ fidei Catholicæ distinguit, & inter *dubias propositiones* hanc refert; quæ dicit, animas quasdam, quæ in purgatorio sunt, per ignem purgari oportere: cum tamen Pontifex è cathedra sententiam dicens, & Concilium Tridentinum ipsum, etsi in Decretis suis doctrinam de purgatorio brevius proponens, in hoc tamen, quem illic promiserat, Catechismo, plenius mentem suam declarans, simpliciter & sine omni restrictione, animas, quæ in purgatorio sunt, igne expiandas affirmet & sanciat. Sed nos quidem Auctorem illa ignorasse non dicemus: nescimus tamen, annon in has angustias coactus fuerit, cum videret, non posse à se ostendi, Augustinum sine hæsitatione agnovisse ignem purgatorium; ostendendum autem sibi esse, eum agnovisse non partem doctrinæ, sed plenam doctrinam Romano-Catholicam de purgatorio; adeoque ad superandam istam difficultatem non esse medium magis commodum, quam si pars ea doctrinæ Pontificiæ, à qua alienum fuisse Augustinum negari non possit, in dubiarum propositionum censum rejecta, extra aleam certaminis ponatur, ac de cætero argumentis ἐφ' ὅσον ὁλον ἴε collectis, Augustinus purgatorii assertor exhibeatur. Sed nos prolixius urgendis his non immorabimur.

XII. Quòd verò nihilominus dicimus, Augustinum non patrocinari purgatorio Pontificio, id non heri demùm aut nudius tertius ab unò alterove Nostratum Doctorum traditum accepimus; sed jam pridem in *Articulis Smalcaldicis II. Art. de Missâ pag. 308. Lib. Conc.* à majoribus nostris dictum novimus. Pontificii, inquit, *allegant Augustinum, & quosdam Patres, qui de Purgatorio scripserint, & non putant nos intelligere, ad quid & quare sic illi locuti sint. Augustinus non scribit, esse Purgatorium, nec etiam habet Testimonium Scripturæ, quò nitatur, sed in dubio relinquit, num sit? & inquit, Matrem suam petiisse, ut sui commemoratio fieret ad altare sive Sacramentum. At hoc in universum nihil, nisi*

B

homi-

hominum, & quidem unius atque alterius devotio fuit, non constituens articulum fidei, id quod solius Dei est. Nostri autem Pontificii Sententias istas hominum citant, ut fides habeatur tetrus, blasphemis & maledictis nundinationibus de Missis pro animabus in purgatorio, seu de inferis, oblationibus &c. Sed ex Augustino nunquam ista probabunt. Et cum nundinationes istas, & Missas Purgatorio destinatas abolerint, quæ ne per somnium quidem Augustino in mentem veniunt; colloquemur tandem cum illis; An Augustini dicta, destituta verbo, sint admittenda? & an mortuorum commemoratio ad Eucharistiam sit facienda?

XIII. Itaque ut de his, quæ ab Auctore Schediasmatis quoad quatuor assertiones ex Augustino allata sunt, sententiam nostram distinctius pronunciemus, de tertiâ quidem assertionem prolixâ Disputatione opus non fuisse, videri poterat. Nam quod illic de oratione pro mortuis agitur, eamque ab Augustino approbatam aut commendatam fuisse, variis ejus dictis ostenditur, à scopo alienum est; cum Nostri, etsi negent, dari Purgatorium, non tamen *Orationem pro mortuis prohibeant*; ut habent verba *Apol. A. C. de vocab. Missæ pag. 274.* & sic etiam, licet concedant, quod veteres Christiani Deum pro mortuis precati sint; negent tamen, ex eò, quod veteres pro defunctis orarunt, sequi, quod purgatorium crediderint. Sed nos, priusquam ostendamus, qualis in hac herbâ anguis lateat, paucis præmonemus, loca Augustini ab Auctore citata, etsi non obscure indicent, Augustinum probasse consuetudinem orandi pro mortuis; non tamen æquè firmiter ostendere, eum morem, Augustini judicio, perpetuum fuisse in Ecclesiâ; quod tamen probandum erat. Nempe (1.) verba loci primi ex Libro *ad Dulcit. Quest. 2.* petiti, quo dicitur, *quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consueverit*, non Augustini ipsius, sed Paulini Nolani Episcopi sunt, ab Augustino solum recensita; & similiter quæ loco Sexto ex *Lib. IX. Confess. cap. 11.* adducuntur, non illius, sed Monicae matris ejus verba sunt; *Ponite, (inquit Augustino & fratri) hoc corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis.* (2.) In illis, quæ loco quinto ex *Traet. LXXXIV. in Job.* & locis septimo, octavo & nono ex *Lib. IX. Confess. cap. 12. & 13.* citantur, non quid Ecclesia perpetuo

tuò more, sed quid ipse Augustinus fecerit, quid mater postulaverit, quid alii faciant, docetur. Ita enim legimus I. c. in Joh. *Ideo ad ipsam mensam non sic eos* (de martyribus loquitur) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oramus, sed magis ut (orent) ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis inbareamus.* Et Lib. IX. Confess. cap. XII. *Nam neque in eis precibus, quas tibi (Deum alloquitur) fudimus, cum offerretur pro eâ (Monica matre) sacrificium pretii nostri, iam juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illuc fieri solet, nec in eis precibus ergo flevi, sed toto die graviter in occulto mestus eram.* Ibidem cap. XIII. de sepulturae pompa à matre neglecta loquens: *Non ista, ait, mandavit nobis, sed tantummodò memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei præmissione servierat.* Et sub initium capitis: *Fundo tibi, Deus noster, pro illa famulâ tuâ longe aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu consideratione periculatorum omnis animæ, quæ in Adam moritur.* Quæ autem (3) in reliquis locis, secundo, tertio & quarto continentur, etsi morem orandi pro mortuis in Ecclesiâ receptum esse testentur, perpetuum tamen illum fuisse neutiquam affirmant. Quæ locò secundo ex Serm. XXXII. de verb. Apost. afferuntur verba, sic habent: *Hoc à patribus traditum, universa observat Ecclesia, ut pro eis, qui in corporis & sanguinis Christi communionem defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri (alii legunt fieri,) commemoretur.* Porro locus tertius ex libro de cura pro mort. cap. I. petitus, his verbis constat: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed & si nusquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamen est universa Ecclesia, quæ in hâc consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Et locus quartus ex ejusdem libri cap. IV. desumptus: *Non sunt præmittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Christiana & Catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumque sub generali commemoratione suscepit Ecclesia: ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati vel amici, ab una eis exhibeantur piâ matre communi.* Mirum fortè,
B 2 quod

quod de his locis diximus, Auctori videbitur; sed novit procul dubio, qui rerum Ecclesiasticarum peritus est, aliud esse *universitatem* aliud *antiquitatem*, & *consensum*; prout hæc ipsa jam olim distinxit, qui Augustini ætatem propè attigit, *Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. III. seqq.* adeoq; agnovit, posse ritum aliquem ab universâ Ecclesiâ receptum esse, qui tamen perpetuus non fuit: & eodẽ modò *Paschasius Rabertus Lib. de Sacram. cap. XX.* disputat, *quare generaliter nunc jejunis hoc mysterium (Eucharistiæ) celebretur, cum post Cœnam Dominus Apostolis hoc tradiderit.* Nec est, quod Auctor urgeat verba *Serm. XXXII. de verbis Apost.* ubi mos ille à *Patribus traditus* dicitur. Non enim omnia, à Patribus tradita, perpetui atque inde ab Apostolorum ætate derivati, ac tunc statim in universa Ecclesia recepti moris rationem & vim habent: & habemus exemplum similis ritus orandi versùs orientem, quem ex ipsis Pontificiis *Job. Pineda Comment. in Jobi cap. XXXI. v. 26. ad primos Ecclesia Patres* sic refert, ut successores Apostolorum ab Apostolis distinguat, & dum antiquum morem dicit, perpetuum & Apostolicum esse non affirmet. Atque ita etiam, quod ad allegationem libri Macchabæorum attinet; contextus ipse verborum Augustini l. c. docet, non adeò multum ei ab ipsomet Augustino tribui quippe cui, vix leviter factæ, tanquàm diffidens, statim alium discursum subnectit; tantum abest, ut inde perpetuitatem Christiani moris orandi pro defunctis probandam putaverit.

XIV. Quod de tertia thesi s. assertionem Auctoris antea diximus, eam superfluum videri posse; quippe extra præsentis controversiæ limites positam; idem etiam de quarta affirmamus, quã statuit Auctor, *hæresin esse*, ex sententiâ Augustini, *negare, quòd pro mortuis orare & offerre oporteat*; & in hanc rem adducit locum ex *Aug. Lib. de hæres. ad Quodvult deum Hæres. 53. Aëriani ab Aërio quodam sunt nominati, qui quum esset Presbyter, doluisse fertur, quod Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorum hæresin lapsus, propria quoque dogmata addidisse nonnulla, dicens, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere.* Nam quid hæc ad nos, qui neque prohibemus orationem pro mortuis; ut supra ex Apol. A. C. dictum est; neque peratrocinamur Aërio, quem Epiphanius testatur sensisse, quòd orationes pro mortuis sint inutiles; ut habent verba ibidem

pag. 275. XV.

XV. Sed procul dubio hinc aliquid insidiarum est, quod Protestantibus struitur: Nempè sicut in prima assertione probandum sibi sumsit Auctor, quòd Augustinus agnoscat statum aliquem tristem, in quò animæ quædam à corporibus separatae, pœnas certas, etsi remissâ culpâ, aliquandiu pati debeant; & in secundâ assertionem, quòd animabus in purgatorio illo existentibus proficit, quod à vivis pro ipsis peragitur: ita cum in tertiâ docet, perpetuum morem Ecclesiæ fuisse, orare pro mortuis; supponit ea, de quibus in præcedentibus differuerat, adeoque dum de precibus pro defunctis agit, preces ejusmodi intelligendas esse putat, quæ ad juvandas animas pœnis purgatorii subjectas directæ fuerint; & sic tandem, dum hæresin esse dicit, negare, quòd pro mortuis orare & offerre oporteat; idem hoc illi est, atque hæresin esse, si quis neget, quod pro mortuis, in purgatorio existentibus, & ad juvandos aut liberandos eos à pœnis diutiùs alioqui sustinendis orare & sacrificium Missæ fieri oporteat: ut summa totius negotii huc redeat; Pontificiorum doctrinam de Purgatorio, tanquam articulum fidei perpetuò in Ecclesiâ creditum, ab Augustino proponi; Protestantes verò, qui Purgatorium negant, & licet orationes pro defunctis non prohibeant, negant tamen, eas pro animabus è purgatorio liberandis fieri oportere; negant etiam, sacrificium Missæ pro illis tanquam propitiatorium ad expianda peccata celebrari debere; ab eodem Augustino non solum erroris, sed hæreseos reos, quippe Aërianis similes, postulari.

XVI. Neque verò difficile est, insidias istas & animadvertere & eludere. Nam primò diffiteri non potest Auctor, doctrinam Pontificiam de Purgatorio seu pœnis peccatorum, post remissam in hanc vitam culpam, in alterâ vitam sustinendis, & juvandis, quæ illas patiuntur, animabus fidelium, per preces & sacrificium Missæ; nullibi apud Augustinum unò certò loco sic tractari, ut tota illuc plenè cognosci, & quòd pro articulo fidei haberi debeat, deprehendi possit: quod si enim illud factum fuisset, certè Auctor, qui in colligendis undecunque dictis Augustini operæ non pepercit, & quæsiturus illum, & inventum nobis diligentissimè commendaturus procul dubio fuisset. Hanc ipsâ verò ratione suspectam ille reddit causam suam, cum Articulum fidei ex Augustino probaturus, eum

tamen ab Augustino nullibi ex professo tractatum esse, ipse agnoscat: negare autem profecto non potest, minus credibile esse, eam doctrinam, quam Augustinus pro Articulo fidei habuerit, & haberi voluerit, nullibi ab eo, ac ne ibi quidem, ubi omnino tracta rite stabiliri debebat, si credita fuisset, perspicue ac plene esse tractatam.

XVII. Deinde & cum ille particulatim, in quatuor aphorismos redactam proponit Doctrinam, quam summam ex Augustino à se demonstrari posse desperaverat; atque ad assertiones illas singulas distincte probandas accedit; tertiam, quæ de precibus pro defunctis, ut à pœnis, quibus post hanc vitam subjacent, liberentur, loqui debebat, sic immutat, ut omisso, quod imprimis asserendum & probandum erat, nihil aliud quam ipsum precandi pro mortuis morem, citra respectum ad liberationem animarum è purgatorio, exhibeat: quæ sanè non est ratio sincerè tractandi controversias fidei.

XVIII. Similiter quoad quartam assertionem, etsi quò tendat Auctor, non sit difficile ex præcedentibus colligere; scilicet, ut evincat, hæresin esse, si quis neget, orationes & sacrificium Missæ in Ecclesiâ retineri ac fieri debere ad liberandas à pœnis purgatorii post hanc vitam animas; tamen iterum *περὸς τὸν μὲν* ille, quippe qui ex Augustini loco adducto ostendi non poterat, callidè omittitur, ac solum de eo agitur, quòd hæresis sit, negare, quòd pro mortuis orare & offerre oporteat. Quasi videlicet hoc ostenso, nihil relictum sit dubii de eo, quòd hîc in controversiam venit. Imò verò & illud hîc vel obiter observandum est, quòd Aërius non ideò pro hæretico habitus dicatur ab Augustino, quòd ipse non oraverit aut non obtulerit pro mortuis; aut quòd orationes & oblationes istas pro rebus non planè necessariis, verùm liberè in Ecclesiâ servandis habuerit; sed quòd morem illarum precum & oblationum (quòd & Epiphanius testatur *hæres. LXXV.*) prorsus rejecerit, dicens, *orare vel offerre pro mortuis non oportere*. Auctor Schedæ autem, quamvis ipse verba Augustini sic transtulerit; daß man vor die Todten nicht beten noch Opfer opffern solle/ in ipsa tamen thesi scribat; daß es eine Kezerey ist / verleugnen/ daß man vor die Todten nicht beten und opfern müsse: quæ, si ex usu loquendi æstimes, & quatenus à Pontificiis solent nobis opponi; (quicquid
alias

aliàs sit de vi verborum, *non oportere*) huc redeunt; hæresim esse, negare, quòd necessarium sit, orare aut offerre pro mortuis. Sanè enim hæc quàm maximè differunt: & aliud est dicere; ea, quæ in Ecclesia liberè fiunt, non esse facta necessaria; aliud dicere, ea, quæ in Ecclesia liberè fiunt, non esse facienda: sicut olim *Sec. II. post. C. N.* cum Ecclesiæ Asiaticæ Pascha decimâ quartâ Lunâ celebrarent, non quidem quasi hoc omninò necessarium sit, sed solùm, ut in libertate sua & acceptâ à majoribus consuetudine perstarent; Victor autem Episcopus Rom. illas ideò excommunicaret, Pascha die Dominico ad consuetudinem occidentalium Ecclesiarum celebrandum esse contendens; mox Episcopi alii Victorem acriter reprehenderunt, publicè docentes, aliud esse statuere, quòd non sit necessarium Pascha decimâ quartâ Lunâ celebrare; aliud autem statuere, quòd Pascha decimâ quartâ Lunâ celebrari prorsus non oporteat, ideò que celebrantes hoc modo Pascha, velle damnare. vid. *Euseb. Lib. V. Hist. Eccl. cap. XXIV. XXV. Socr. Lib. V. cap. XXII.* Sed procul dubio hujus distinctionis neglectus non tam incitiæ cuidam Auctoris adscribi debet, quàm quod credidit, hoc modo sese faciliùs optatam contingere posse metam. Plura autem de Aërio, & num reverà ab Ecclesiâ antiqua, quam item ob causam pro hæretico habitus fuerit? quò etiam sensu vox hæresios ab Augustino in Libro de hæres. ad Quodvultdeum accipiantur? nunc disputandi locus non est.

XIX. Quod ad secundam assertionem attinet, equidem non ægrè largimur Auctori, quod jam pridem *B. Chemnitius P. III. Exam. Conc. Trid. p. m. 174.* agnovit; *Augustinum tempori, consuetudini & receptis vulgè opinionibus plus concedere, & orationes pro mortuis aliter quàm veteres fecerant, sine Scriptura interpretari cepisse.* Fatemur, cum eodem Chemnitio, Augustinum aliquando tres constituere ordines defunctorum: unum, valdè bonorum; alterum valdè malorum, & tertium medium; atque de hoc ultimo hominum ordine affirmare, quòd juvari possit, per ea, quæ à viventibus piè & devotè fiunt in illorum gratiam. Sed quòd Auctor dicta Augustini sic interpretatur, quasi ille statuerit, certum & dogma fidei Catholicæ esse, quòd, quæ à viventibus fiunt pro defunctis, sic fiant utiliter, ut animas in purgatorio detentas adjuvent, & tormentorum

torum sive gravitatem mitigent, sive durationem reddant brevior, hoc est quod negamus.

XX. Dicta Augustini ad assertionis secundæ confirmationem ab Auctore adducta sequentia sunt: Primum ex *Epist. LXIV. ad Aurel.* ubi Augustinus; *Oblationes, ait, pro spiritibus dormientium verè aliquid adjuvare credendum est.* Secundum & tertium ex *Enchirid. ad Laur. cap. CIX. & CX.* citantur: *Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia sunt. Cum ergò sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis propitiationes sunt.* Quartum ex *Lib. XXI. de C. D. cap. 24.* Nam pro defunctis quibusdam vel ipsius Ecclesie vel quorundam piorum exauditur oratio: Sed pro his, quorum in Christo regeneratorum, neque usque adeò vita in corpore malè gesta est, ut tali misericordiâ judicentur digni non esse, nec usque adeò benè, ut talem misericordiam reperiantur necessariam non habere. Quintum, Sextum & Septimum ex *Serm. XXXII. de verbis Apost. petuntur.* Orationibus sanctæ Ecclesie, & sacrificio salutari & eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum, mortuos adjuvari: ut cum eis misericordius agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Item: Non omninò ambigendum est, ista prodesse defunctis, sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Item: Illa, quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis observantiùs, instantiùs, abundantius impendant, qui suos carne, non spiritu mortuos, & non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter amant. Octavum ex *Lib. de cura pro Mortuis Cap. 1. & ad Dulcit. quæst. 2.* Nam meritum, per quod ista profint, si nullum comparatum est in hæc vitâ, frustra queritur post hanc vitam. Ita fit, ut neque inaniter Ecclesia vel suorum cura pro defunctis, quod potuerit religionis impendat; & tamen ferat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum, reddente Domino unicuiq; secundum opera ejus. Nonum denique ex *Libro de cura pro mortuis cap. 4.* Cum itaque recolit animus ubi sepultum est charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem martyri
ani-

animam dilectam commendat recordantis & precantis affectus. Qui cum defunctis à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est iis, qui, cum in corpore viverent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.

XXI. Singula, inquam, atque omnia hæc loca nihil aliud ostendunt, quàm quòd Augustinus utilitatem precum, quas vivi pro defunctis faciunt, ad defunctos ipsos pertingere docuerit. Quòd autem ista, quæ à viventibus fiunt, profint animabus, tanquam in *Purgatorio* existentibus; quemadmodum habet thesis secunda Auctoris; & præsertim, quòd hæc sententia non sit privata paucorum, sed articulus fidei Catholicæ; nihil in citatis locis Augustini habetur.

XXII. Neque est, quòd dicat Auctor, etsi nomen *Purgatorii* *ll. cc.* non legatur, rem tamen haberi; partim, quòd illud *adjuvare animas, & prodesse animabus, item, relevare animas*; idem fit, atque animabus ad beatitudinem nondum perductis, atque interim, dum affliguntur, auxilio egentibus, adjumento esse ad impetrandam liberationem; partim, quòd *sacrificii salutaris*, tanquam expiatorii; & *propitiationum*, & impetrandæ per preces *misericiordiæ* majoris, quàm peccata meruerunt, mentio expressa fiat; partim, quòd jam antè in his, quæ ad thesin primam ab Auctore allata sunt, ostensum sit, dari talem statum pœnarum ac tormentorum, post remissam peccatorum culpam sustinendorum, qualem Pontificii *Purgatorium* vocant: ut adeò, quando Augustinus preces & oblationes animabus defunctis utiles dicit, non sit difficile colligere, quod loquatur de utilitate precum tali, quæ ad auferendas aut abbreviandas illas pœnas, velut jam præsentis, faciat.

XXIII. Itaque ne quid à nobis omissum esse, conqueri possit adversarius, antequam ad priora illa respondeamus, recensebimus etiam loca Augustini ad confirmationem primæ thesisi allata: sunt autem verba loci primi sequentia ex *Lib. II. de Gen. contr. Manich. c. 20.* *Qui fortè agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vitâ maledictionem terra sua in omnibus operibus suis & post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam.* Alter ex *Lib. XXI. de C. D. c. 16.* his verbis constat: *Non solum pœnis non preparatur æternis, sed ne ulla quidem post mortem purgatoria tormenta patietur.* Tertius ex ejusdem libri *cap. 24.*

C

hic

hic est: sicut etiam facta resurrectione mortuorum non deerunt, quibus post penas, quas patiuntur spiritus mortuorum, impertatur misericordia, ut in ignem non mittantur aeternum. Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc seculo, neque in futuro, nisi essent, quibus, etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro. Quartus & Quintus ex Enarr. in Psal. XXXVII. sic habent: In hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit. -- De utroque igne securi essent: non solum de illo aeterno, qui in aeternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. -- Gravior erit ille ignis, quam quicquid potest homo pati in hac vita. Sextus ex Lib. XXI. de C. D. cap. XIII. Temporarias penas alii in hac vita tantum, alii post mortem, alii & nunc & tunc, veruntamen ante iudicium illud severissimum novissimumque patiuntur. Septimus denique ex eiusdem libri cap. 16. iam ante citato: Purgatorias penas nullas fuisse opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium.

XXIV. Nunc ergo, ut denuo appareat, rem non satis sincerè à Patrono Purgatorii tractatam esse; (1.) monemus, quod, si maximè ea omnia, quorum in §. XXII. mentionem fecimus, concedantur; non tamen hinc sequatur, quod, quam Augustinus de pœnis fidelium quorundam mortuorum sententiam fovit, eam pro articulo fidei Catholicæ habuerit. Nam ille potius, ut hoc statim addamus, alteram quoque illam de utilitate qualicunque, ex precibus pro defunctis ad defunctos redundante opinionem, non omnibus receptam, sed à multis nec sine ratione in controversiam vocatam agnoscit, quando in ipso contextu Libri de octo Dulciii Questionibus, unde Auctor argumentum ostendendæ utilitatis oblationum & precum pro mortuis petiit; postquam quæstionem ipsam, quæ ordine secunda est, ut & rationem dubitandi his verbis proposuit: *Utrum oblatio, qua fit pro quiescentibus, aliquid eorum conferat animabus, cum evidentè nostris aut sublevemur actibus aut gravemur; cum siquidem legamus, quod in inferno nemo possit iam confiteri? statim ita pergit: Ad quod MULTI DICUNT, quod si aliquis beneficii in hoc locus possit esse post mortem, quanto magis sibi anima ferret ipsa refrigeria, sua per se illuc confitendo peccata, quam in eorum refrigerium ab aliis oblatio procuratur. Quod sanè idem est, ac multos negare*

gare aut saltem in dubium vocare opinionem de utilitate precum
& oblationum, quas vivi pro mortuis faciunt; cum non videant,
quomodo dici possit, animam à corpore separatam sibi ipsi demùm
aliquid posse mereri; & tamen hoc magis probabile credant esse,
quàm quòd aliorum actiones illi prodesse possint. Et notanda est
clausula ejus libri, quæ his verbis absolvitur: *Sicut potui, respondi
inquisitionibus tuis. Si quid de ipsis rebus invenisti melius, sive in-
venire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse. Ego e-
nim, quòd & supra de me commemoravi, magis amo discere, quàm
docere:* quæ verba non sunt ejus, qui indubitatum fidei articulum
protulit, sed qui privatam sententiam sic proposuit, ut dissentien-
tes ferat & audiat. Similiter in libro *de cura pro mortuis*, unde iti-
dem fundamenta Purgatorio Pontificio substernenda, petuntur ab
Auctore, *cap. I.* memorat Augustinus, *Paulinum, Coëpiscopum vene-
randum*, cum proponeret sibi quæstionem: *utrum pro sit alicui post
mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepelitur:*
simul ad quæstionem generalem: *Utrum pro sit defuncto, quod à
superstitibus fit pro ipso? descendisse; & pro parte affirmativâ qui-
dem attulisse rationem, quòd non sint inanes motus animorum reli-
giosorum atque fidelium pro suis ista curantium: & vacare non pos-
sit quod universa pro defunctis Ecclesia supplicare consuevit: simul
verò & pro parte negativâ, seu quòd mortuis non profint facta alio-
rum, adduxisse illud, quod dicit Apostolus: *Omnes astabimus ante tri-
bunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quæ per corpus ges-
sit, sive bonum sive malum: & significasse, se non videre, quomodo prio-
ri illi opinioni dictum hoc Apostoli contrarium non sit: hanc quippe
Apostolicam sententiam admonere, ante mortem fieri, quod possit prod-
esse post mortem: non tunc, quando jam recipiendum est, quod quisq;
gesserit ante mortem.* Quæ omnia etiam repetuntur in *Lib. de VIII.
Dulcitii Quæstionibus Q. II.* unde iterum constat, quamvis Augusti-
nus ita responderit ad Quæstionem, ut, quomodo, non obstante,
quod ex Apostolo objiciebatur, precum pro defunctis ad defunctos
rediens utilitas locum habeat, ostendere conaretur; oppositam ta-
mē sententiam non minùs, quàm illam Augustini, fautores in Eccle-
sia etiam tunc habuisse, adeoq; nondum illam quæstionem, nedum
hanc specialiozem, quæ utilitatem precum ad pœnas purgatorii au-
feren-*

ferendas spectantem tractat, tanquam articulum fidei ab Ecclesia definitum fuisse.

XXV. Deinde (2.) monemus, ad doctrinam de purgatorio ex sententia Ecclesie Romanæ imprimis pertinere actualem existentiam ejus status, non aliquando demùm futuri circa finem mundi; sed qui jam pridem cœperit, & ad quem omnes hæcenus animæ, quibus post remissam in hac vita culpam, pœnæ aliquæ sustinendæ restabant, statim post excessum è corporibus suis pervenerint; adeoq; & nostro tempore plurimæ, pro quibus nondum planè satisfactū est, animæ pœnis seu tormentis præsentibus affligantur, & hinc liberandæ sint: prout in ipso *Conc. Trid. Sess. ult. Decr. de Purg.* definitum legimus; PURGATORIUM ESSE & animas IBI DETENTAS fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificiò juvari. Ille autem, contra quem disputamus, Auctor, sicut thesin primam ita enunciat: *Est apud nos dogma fidei, quòd animabus quibusdam à corporibus separatis remissâ culpâ, in vita alterâ certæ pœnæ aliquandiu sustinendæ sint*; ita hæc Augustini dictis probatâ, ostensum à se putat, quod Augustinus statum ejusmodi animarum separatarum, qualem Pontificii purgatorii nomine intelligunt, agnoverit. Et tamen in illa thesi non nisi generaliter & indeterminatè dicitur, restare animabus quibusdam luendas pœnas, post remissam culpam: quòd autem animæ, cum è corporibus excedunt, mox ad statum & pœnas illas sustinendas transeant, adeoque jam sit purgatorium, & plurimæ animæ ibi detineantur, cum suffragia fidelium pro ipsis fiunt; sicut in thesi non affirmatur, ita si maxime, quod in thesi dicitur, ab Augustino traditum esse ostendatur; non ideò ostensum est, ab Augustino & illud fuisse agnitum traditumque. Aut ergò hîc dicendum est, Auctorem non intellexisse genuinam suorum Doctrinam; quò tamen nomine nos illum non arguemus: aut, hæc ab illo sic tractata fuerunt, cum intelligeret, dicta Augustini à se citata, etsi speciem præbeant, agnitarum ab Augustino pœnarum, animabus hominum non valdè malorum luendarum; non tamen simul declarare existentiam statûs ejusmodi statim post egressum è corporibus subeundi, ut jam sit Purgatorium, jam detineantur ibi animæ.

XXVI. Et ut hæc occasione de singulis locis ab Auctore ad thesin primam adductis distinctiùs, non nihil loquamur; in primo loco

loco libri *contra Man.* de *Genes.* ut & in altero *Lib. XXI. de Civ. D.* cap. 16. non nisi indefinitè mentio fit ignis purgationis & purgatoriorum tormentorum, post mortem subeundorum aut non subeundorum. De tertio loco, *Lib. ejusd. de C. D. c. 24.* jam dudum constat ex *Comment. Ludov. Vivis*; eum in *antiquis Libris Brugens. & Colonien.* non legi; neque in *exemplaribus Friburgi excusis.* Novimus etiam, eadem verba in novissimis quoq; Augustini editionibus Lovaniensi & Parisiensi, quæ emendatissimæ habentur, non reperiri: ut adeò facilè in eam deduci possimus opinionem, quæ ipsius *Lud. vivis* est de alio loco, *Libri seq. XXII. cap. VIII. In hoc capite*, ait ille, *non dubium, quin multa sint addita, velut declarandi gratia, ab iis, qui omnia magnorum autorum scripta spurcis suis manibus contaminabant*: nec ignotum est, Monachos hîc denotari, de quorum corruptelis multa extant exempla, multæ eruditorum querelæ. In quarto & quinto ex *Enarrat. in Psal. XXXVII.* petitis locis, itidem ut in primis duobus, in genere tantum ignis emendatorii meminit Augustinus. Ultima loca duo ex *Cap. 13. & 16. Lib. XXI. de Civ. Dei*, dicunt quidem esse post mortem pœnas quasdam temporales & purgatorias; & eas non esse post judicium extremum; (quemadmodum nonnulli credebant, pœnas hominum baptizatorum impiorum, qui in judicio damnabuntur, non fore æternas, sed temporales tantum, ac factâ purgatione finiendas: Contrâ quam sententiam illic l. c. ex professio disputatur) quòd autem animæ hominum fidelium quidem, sed cum reatu quodam peccatorum è vita decedentium, factâ separatione à corporibus ad pœnas illas purgatorias transeant, iisque subjectæ maneant, donec vel sufficienter purgatæ sint, vel alienis vivorum satisfactionibus liberentur; quæ est sententia Papalis de purgatorio, id sanè *ll. cc.* non habetur.

XXVII. Eadem ratio est phrasium ex locis ad thesin secundam collectis excerptarum. Certè *juvare animas, prodesse aut adjumento esse animabus*, non statim importat auxilium ad consequendam liberationem à pœnis afferendum aut allatum; Nam & qui à minore felicitatis gradu ad majorem adspirat, commendatione aut intercessione aliorum obtinere potest, quod juvet, profit, aut fit adjumento: & qui animas à corporibus separatas carere tantisper visione beatificâ statuit, facilè admittit statum, in quo animabus adjumentum afferri possit. Atque hanc Augustini de animabus fidelium,



delium, martyribus tamen exceptis, sententiam fuisse, jam pridem ex ejus *Enarrat.* in *Pf. XXXVI.* item *Lib. XII. de Gen. ad lit. cap. 9.* & locis aliis, ab eruditis ostensum est. Vel si maximè illud in controversiam vocet Auctor, hoc tamen procul dubio concedet, quod & *Sixtus Senensis Lib. V. Bibl. S. annot. 169.* & *Lib. VI. annot. 345.* libenter admittit, statuisse Augustinum, quòd beatitudo piorum, etsi ante resurrectionem quoad visionem Dei obtingat, augmenti tamen interim quoad alias sui partes capax maneat. Et sic agnoscat oportet, jvari interim posse piorum animas, etiamsi non sint in carcere, & pœnis subjctæ liberationem desiderent. Quod si hoc durum dictu videatur Auctori; audiat Pontificem Romanum, Innocentium III. qui *e. cum Martha. §. ult. de celebr. Missarum,* testatur *plerosque Doctores reputare, non indignum Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari: & ideò Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare.* Et quid causæ fuisse putamus, quòd Auctor, cum ex *Enchirid. Aug. ad Laurentium, Cap. CIX.* verba quædam adduceret, quibus preces pro mortuis commendantur, omisit tamen verba, quæ præcedunt: *Tempus, quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie vel ærumna pro eo quod sortita est in carne, cum viveret:* nisi quod vidit, in illis non tres classes aut status animarum, à corporibus separatarum, exclusò tertiò pro fidelibus non fatis purgatis ac puniendis; unde porrò constet, utilitatem precum ab Augustino illuc prædicatam, non ad id, quod Augustinus non agnoscit, sed aliò, & ut animabus, quæ hætenùs in abditis receptaculis delitescant, donec aliquando ad plenam lucem gloriamque adspirent; qualecunque adjumentum præstetur, referri debere. Hæc autem ab Auctore dissimulata, nunc Auctorem ipsa refutant.

XXIX. Si urgeat Auctor cætera, quæ de *sacrificio salutari, de propitiationibus &c.* dicuntur: quasi quæ explicent rationem utilitatis eorum, quæ pro defunctis fiunt; seu quòd illa ad ablationem aut mitigationem pœnarum faciant: equidem non negamus, quòd speciem ejus opinionis, quam Pontificii de purgatorio habeant, præ se ferant. Sed tamen simul novimus, & Auctorem expendere volumus, quæ Augustinus ipse, dum pro Matre sua Monica orat, loco ab Auctore ipso non una vice ad thesin tertiam citato, in hanc rem scri-

scripta reliquit. Nempè postquam *Cap. XII.* dixerat; se preces in funere Matris fuisse, cum offerretur pro ea sacrificium precii nostri; sequente *Cap. XIII.* prolixè docet, se lacrymari & precari pro matre, & indulgentiam ac misericordiam divinam peccatis matris impertiendam poscere; non ideò, quòd statuatur, homines in hâc vitâ non plenè purgatos, post mortem demùm temporaliter puniri; sed quòd consideret statum miserum hominum peccatorum omnium, ipsiusque adeò matris suæ; & quòd possit Deus, si secundùm rigorem justitiæ agere velit, homines, quorum nemo in se perfectè sanctus est, omnes punire: ideòque, quamvis non dubitet, Deum illam misericordiam, qualem ipse nunc optet, jam impertiisse matri in fide Salvatoris defunctæ; se tamen, dum indignitatem propriam matris spectat, intueri illud, quod jamà Deo factum est, quasi non esset factum, sed per preces demùm optandum atque impetrandum. Quare eodem modò, quæ pro aliis defunctis fidelibus fieri dicit Augustinus; fanè non ideò, quòd propitiationis, expiationis & misericordiæ majoris, quàm peccata meruerunt, mentionem faciunt, supponunt tanquam certum, quòd animæ illorum à peccatis non planè purgatæ pœnis ac tormentis præsentibus reverà affligantur; sed vel in medio relinquunt; vel etiam contrarium docent. Verba Augustini *l. c.* hæc sunt: *Ego autem, jam sanato corde ab illo vulnere, in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longè aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu* CONSIDERATIONE PERICULORUM OMNIS ANIMÆ, QUÆ IN ADAM MORITUR. *Quamquam illa in Christo vivificata etiam nondum carne resoluta sic vixerit, ut laudetur nomen tuum in fide moribusque ejus, non tamen audeo dicere, ex quo eam per Baptismum regenerasti, nullum verbum exiisse ab ore ejus contra præceptum tuum. Et dictum est à veritate filio tuo, si quis dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis. Et va etiam laudabili vitæ hominum, si remotâ misericordiâ, discutias eam.* QUIA VERÒ NON EXQUIRIS DELICTA VEHEMENTER, FIDUCIALITER SPERAMUS ALIQUEM APUD TE LOCUM INVENIRE INDULGENTIÆ. *Quisquis autem tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur. Ego itaque laus mea & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis ejus artibus,*

*tibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc PRO PECCATIS MATRIS
 MEÆ DE PRECOR TE, exaudi me per medicinam vulnerū nostrorum, qua
 pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam te interpellat pro nobis
 scio misericorditer operatum, & ex corde dimisisse debita debitoribus
 suis; DIMITTE ILLI ET TU DEBITA SUA, SI QUA ETIAM CONTRAXIT
 PER TOT ANNOS POST AQUAM SALUTIS. DIMITTE DOMINE, DIMITTE
 OBSECO, NE INTRES CUM EA IN JUDICIUM. Superexaltet mi-
 sericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & pro-
 misisti misericordiam misericordibus. Quod ut essent, tu dedisti
 eis, qui misereberis cui misertus eris, & misericordiam tuam pra-
 stabis cui misericors fueris. ET CREDO JAM FECERIS, QUOD TE ROGO,
 SED VOLUNTARIA ORIS MEI APPROBA DOMINE.*

XXIX. Patet vel ex hoc unō locō Augustini, quòd S. Pater,
 cū pro mortuis fidelibus preces funderet, easque non ut gratia-
 rum actiones, sed ut propitiatorias conciperet ederetque, non ta-
 men istud pro certo habuerit, quòd fidelium animæ, in hāc vitā
 non satis expiatae, post mortem pœnas peccatorum reverā patian-
 tur, sed hoc tantū, quòd intuitu peccatorum pœnas pati merue-
 rint, licet majorem apud Deum consequantur misericordiam; ita, ut
 preces illæ quidem sint deprecatoriæ pœnarum peccatori infligen-
 darum, quoad eam, quā conceptæ sunt, atque eduntur, formam;
 pœnæ autem nō demū per preces sint tollendæ, sed per divinam
 misericordiam nunquam inferendæ.

XXX. Verūm hīc fortē objiciet Auctor; Quòd Augustinus
 matrem suam ad statum quietis mox post mortem pertigisse, adeò-
 que jam factum esse à Deo, quod ipse orabat, credidit; id inde esse,
 quòd probabiliter judicaverit, matrem suam, expiatis prius in hāc
 vita per pœnitentiam peccatis, è vita excessisse, ut adeò, licet ipsa à
 purgatoriis tormentis, rarā felicitate, immunis manserit, aliis tamen
 illa tormenta ex sententia Augustini subeunda sint, quotquot non
 æquè purgati decedunt: alioqui enim illum ne pro matre quidem
 ad eum modum fuisse oraturum, nisi communis periculi, quod ho-
 minibus peccato obnoxiiis, etiamsi fidelibus, impendet, memor
 fuisset.

XXXI. Possunt hæc ita objici, ut diximus: sed sine funda-
 mento, Nam Augustinus causam *προκαταλαβόντων* sollicitudinis suæ
 &

& precum pro peccatis matris factarum, sic in reatu peccatorum juxta justitiæ divinæ rigorem spectatorum ponit, ut nihilominus, et si periculum omnis animæ, quæ in Adam moritur, meminerit; de tormentis tamen, vel uni fidelium post mortem certò inferendis, planè taceat. Unde hoc fundamentum curæ illius & precum pro defunctis, fingi non debet.

XXXII. Neque hîc negligendum est, quòd Augustinus ipse h. c. postquam dixit, matrem ad Sacramentum pretii nostri ligasse animam suam signaculo fidei; repetens votum suum; Nemo, ait ad Deum, à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidiis leo & draco; neque enim respondebit illa nihil se debere, ne convincatur & obtineatur ab accusatore callido; sed respondebit dimissa debita sua ab eo, cui nemo reddet; quod pro nobis non debens reddidit. unde apparet, sollicitudinem illam Augustini non tam ad pœnas animabus fidelium, remissâ peccatorum culpâ, post mortem inferri solitas, quàm ad rigorem judicii extremi, quod omnibus subeundum est, terminatam fuisse.

XXXIII. Quòd autem Augustinus aliàs sollicitus fuerit; Annon hominibus, qui quanquam in fide decederent, antea tamen rebus terrenis intemperantiùs dediti, & peccatis polluti fuerunt, pœnæ quædam post mortem ad tempus subeundæ restent? atque hanc sententiam probabilem, non autem certam ac demonstrabilem aut pro articulo fidei in Ecclesia habitam crediderit? sicut jam antè indicavimus, ita nunc plenius paulò declarabimus. Nempè in duobus locis, quos Auctor, ad exemplum Bellarmini & aliorum, ad ostendendum ex Augustino purgatorium adduxit, nos autem verba ab illo excerpta supra vidimus; præterea verò etiam in alio tertio loco Augustinus dubitationem, quam habuit de pœnis purgatoriis post hanc vitam, apertè exponit. Libro de octo Quest. Dulciti Quest. I. postquam de dicto Pauli I. Cor. III. vers. 11. seqq. adis. disputaverat, & ignem, per quem probanda sint opera eorum, qui super fundamentum aedificant, seu aurum, argentum & lapides pretiosos; seu fœnum, ligna, stipulas; de tentatione tribulationis explicaverat, quæ in hac vita sæpè faciat, quod dixit Apostolus; notanter addit: Tale aliquid etiam post hanc vitam fieri incredibile est, & uirum ita sit, queri potest. Et aut inveniri aut latere, nonnullos fideles per i-

D

gnem

gnem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari. Libro XXI. de Civ. Dei cap. 26. ubi itidem de dicto illo Apostoli differit, his verbis utitur: *Post istius sanè corporis mortem, donec ad illum veniatur, qui post resurrectionem corporum futurus est damnationis & remunerationis ultimus dies, SI HOC TEMPORIS INTERVALLO SPIRITUS DEFUNCTORUM EJUSMODI IGNEM DICUNTUR PERPETI, quem non sentiant illi, qui non habuerunt tales mores & amores in hujus corporis vita, ut eorum ligna & fœnum & stipula consumatur: alii verò sentiant, qui ejusmodi secum edificia portaverunt, SIVE IBI TANTUM, SIVE ET HIC ET IBI, SIVE IDEO HIC, UT NON IBI, secularia, quamvis à damnatione venialia concremantem ignem transitoria tribulationis inveniunt, NON REDARGUO, QUIA FORSITAN VERUM EST.* Tertiò denique locò, qui extat *Lib. de fide & operibus cap. 16.* & repetitur in *lib. de octo questionibus Dulcitii Q. 1.* similiter dictum illud Pauli tractat, & fideles, qui *carnalem habuerunt affectum* in rebus terrenis, per ignem quendam doloris ad salutem pervenire docet; mox autem hæc verba annectit: *SIVE ERGO IN HAC VITA TANTUM HOMINES ISTA PATIUNTUR, SIVE ETIAM POST HANC VITAM TALIA QUÆDAM JUDICIA SUBSEQUUNTUR, NON ABHORRET, QUANTUM ARBITROR À RATIONE VERITATIS ISTE INTELLECTUS.*

XXXIV. Homini à præjudiciis vacuo & textus singulos Augustini sincerè tractanti, non alia in mentem venire potest sententia, quàm quòd S. Pater, cum ista scriberet, reverà dubitaverit de quæstione, An dentur pœnæ peccatorum hominibus in fide decedentibus post mortem infligendæ? Sed Bellarminus eum nihilominus ex dubitante definiens facit, quando *Lib. 1. de Purg. cap. VI. p. m. 59. & 60.* scribit: *Cum Augustinus lib. 21. de civit. Dei, cap. 26. & in Enchirid. cap. 69. dicit, posse dubitari & quari, an post hanc vitam anime torqueantur purgatorio igne: non dubitat, de pœna animarum, sed de modo & qualitate: nam in priore solum dubitat, an ignis purgatorius sit idem in substantia cum igne gehenna; de quo dicitur Matth. 25. Ite in ignem æternum. In posteriore autem dubitat, an post hanc vitam urentur anime igne illo doloris de amissione temporalium, quò hinc uri solent, cum rebus valdè dilectis carere cogun-*

*roguntur. Item post paulò Cap. XI. sub finem p. m. 89. postquam
præced. pag. 84. ex Petro Martyre omnia illa quatuor loca sibi ob-
jecerat, quæ nos supra attulimus, ostensurus tandem, quomodo
Augustini dubitatio de purgatorio intelligi debeat; Dico igitur,
ait, Augustinum in illis quatuor locis dubitare solum de genere pecca-
ti, quod punitur: an videlicet, sicut in hac vita immoderatus amor
erga temporalia purgatur à Deo variis afflictionibus, ut mortibus u-
xoris, liberorum, &c. Ita etiam credibile sit, post hanc vitam adhuc
remanere in anima separata aliquas reliquias talium affectionum a-
ctualium, quæ purgari debeant tribulationibus & molestiis. Et se-
nim anima corpore vacantes non videntur posse tangi ejusmodi affe-
ctionibus corporalibus, tamen cum sint formæ corporum, & in corpo-
re diu fuerint, & rursus appetant conjungi corpori, non est incredi-
bile, eas recordari adhuc voluptatum, quas per instrumenta corporea
perceperunt, & earum desiderio aliquò teneri. Quia verò res ista
difficillima est, idè rectè Augustinus dicit, posse queri, & nunquam
fortè inveniri.*

XXXV. Patet autem, Bellarminum & sibi & Anonymo nostro
& veritati rei contradicere. Nam I. observamus, quod nunc di-
cat, Augustinum in duobus locis, qui in numero isto quaternario
continentur, *de modo & qualitate pœnæ* dubitare; nunc autem di-
cat, in omnibus quatuor locis *solum de genere peccati, quod puni-
tur, dubitare Augustinum.* Atqui genus peccati, quod punitur,
non est modus seu qualitas pœnæ, & contrà; quod Bellarminus i-
pse agnoscit, & duo illa distinguit cap. IX. §. *Respondet Petrus &c.*
pag. 88. exclusiva autem particula *solum*, ad dubitationem de ge-
nere peccati spectans, excludit dubitationem, de eo quod non est
genus peccati puniendi, sed ab eo differt; adeoque quod dicit
Bellarminus, Augustinum dubitare de modo & qualitate pœnæ; &
Augustinum dubitare solum de genere peccati quod punitur; idem
est, ac si dixisset: Augustinum in iisdem locis (*Lib. XXI. de C. D.*
cap. 26. & Enchirid. cap. 69.) in quibus dubitat de modo & qua-
litate pœnæ fidelium quorundam post mortem; non dubitare de
modo & pœna fidelium eorundem post mortem: item, Augusti-
num ibidem, ubi solum dubitat de genere peccati, quod punitur;
non solum dubitare de genere peccati, quod punitur; aut planè

D 2

non

non dubitare de eo, de quo solo dubitat: quod sanè est sibi apertè & plus simplici vice contradicere.

XXXVI. Deinde (2.) cùm Bellarminus dicat, Augustinum in quatuor illis locis dubitare solùm de genere peccati, quod punitur: Anonymus noster pag. 6. dicit, Augustinum in locis illis dubitare; *utrum animæ quædam non per ignem purgandæ sint, sed tantùm per dolorem propter amissionem rerum amatarum, aut per ignem transitoria tribulationis*: de genere peccati, quod punitur, illic disputare aut dubitare Augustinum, non agnoscit: nedum ut solùm de eo illic dubitare Augustinum agnoscat. Unde, cur ad Bellarminum *sine præjudicio legendum*, tanquam *ad veritatis propugnato-rem* provocaverit Anonymus; quod facit pag. 8. vix invenias; nisi credas, eum vidisse tantùm priorem Bellarmini locum, qui *Cap. 6.* habetur; posteriorem, quò Bellarminus, fortè immemor sui, evertit, quod antè dixerat, non vidisse.

XXXVII. Imprimis verò (3.) notandum est, nihil eorum, quæ vel Bellarminus vel sectator ejus, Anonymus, afferunt, & in quibus dubitationem Augustini de purgatorio consistere & absolvi dicunt, verbis Augustini seu in omnibus quatuor locis, seu uno tantùm illorum, convenire. Certum est, & speramus non negaturum Anonymum, quod pridem scripsit *Hilarius Lib. III. de Trinit. Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus*. Atqui, si occasionem ex causis dicendi in locis cit. Augustini scrutemur, facile patebit, Augustinum in omnibus quatuor locis imprimis disputare adversus *Misericordes* illos, qui licet malos angelos hominesque à fide christiana alienos æternis pœnis afflictum iri concederent; putarunt tamen aliam rationem esse hominum eorum, qui per agnitionem & professionem doctrinæ christianæ & sacramentum Baptismi in Ecclesiam recepti & christiani facti, neque per apostasiam aut hæresin ab Ecclesia avulsi; sed tamen interim fidem veram ac vivam destituti & peccatis gravioribus polluti fuerunt; quos nempe illi non æquè ac ceteros impios, æternis pœnis, sed ad tempus tantùm igne infernali cruciandos putarunt, nixi imprimis dicto Paulino *1. Cor. III. 13. seqq.* ubi qui *fundamentum*, i. e. Christum retinent, sed tamen non *aurum & argentum*, verùm *fœnum, ligna & stipulas superadificant*, dicuntur.

non
salvi

salvi futuri quidem, sed *tanquam per ignem*: cuius loci sensum hunc illi tradiderunt, quod Christi doctrinam per qualemcunque fidem aut fidei professionem retinentibus, pessima opera autem simul facientibus, aditus ad salutem non omnino denegetur, verum post ignis infernalis cruciatus, peccatis respondentes, pateat. Hanc igitur sententiam, tanquam sacrae Scripturae adversam, graviter impugnat Augustinus, simul tamen occasionem sibi datam agnoscit, de vero sensu dicti Apostolici disputandi, ac speciatim tractandi eam quaestionem; Anne Christiani verè fideles, adeoque non pessimè viventes, sed tamen non eâ, quâ par erat, sanctitate vitae ornati, ac potius inordinatæ concupiscentiæ ac rerum terrenarum amori non nihil indulgentes, sint illi, qui stylo Apostoli fundamento stipulas aut scenum superædificant, & cum tales salvari dicantur per ignem, hoc intelligendum sit de afflictionibus aut pœnis quibusdam, quas illi propter peccata ista subire teneantur. Et ad hanc Quaestionem affirmativè respondet Augustinus; sic tamen, ut eam difficilem esse, & magis probabiliter, quàm apodicticè à se definiri fateatur, quippe de quâ *malit audire intelligentiores atque Doctiores*; ut habent verba *Lib. de Fide & oper. cap. 16.* Cumque hōc modō nova oriatur quaestio; Anne Christiani Christo per veram ac vivam fidem innixi, & simul peccatis aliquibus contaminati, pœnas peccatorum in hac tantum vitâ patiantur? an verò, si tantas pœnas, quæ peccatis respondeant, in hac vitâ passi non fuerint; post mortem demum, & ante ingressum ad beatitudinem, illas exantlare debeant? hīc aqua hæret Augustino. Quamvis enim quoad priorem quaestionis partem diversa genera afflictionum recenseat, quibus fideles sordibus peccatorum maculati in hac vitâ, velut igne quodam, crucientur; tamen neque exclusivè, seu, quod tantum in hac vitâ pœnæ aut mala tristitia hominibus illis propter peccata immittantur, sententiam pronuntiare audet; neque etiam oppositum confidenter enunciat, aut ad alteram quaestionis partem, tanquam de veritate securus, affirmativè responderet; & quod post mortem pœnæ aliqua peccatorum fidelibus subeundæ restent, animosè definit: verum potius in omnibus quatuor locis, verbis quidem dissimilibus, at sensu eodem, incertitudinem ejus rei indicat; & ait: *sive in hac vitâ tantum homines ista patiantur, sive etiam*

post hanc vitam talia quadam iudicia (quale scunq̄ue etiam dicantur
 pœnæ illæ; nam indefinitè loquitur) subsequantur; non abborret,
 quantum arbitror à ratione veritatis iste intellectus: Item: sive ibi
 tantum patiantur, sive & hic & ibi, sive idèò hic ut non ibi; non re-
 darguo, quia forsitan verum est. Item: Tale aliquid post hanc vi-
 tam fieri incredibile non est, & utrum ita sit, quæri potest. Et aut
 inveniri aut latere, nonnullos fideles per ignem quendam (qualiscun-
 que ille sit) purgatorium salvari. De modo & qualitate pœnæ;
 aut de genere peccati quod punietur, utrum in affectionibus actua-
 libus amoris rerum terrenarum, post mortem reliquis, & tunc quo-
 que purgandis, consistat? neutiquam illic disputat Augustinus,
 sed de ipso *lō ōti* pœnarum fidelibus post mortem propter peccata
 hujus vitæ subeundarum.

XXXVIII. Neque est quòd objiciat Anonymus ex Bellar-
 mino *Cap. XI. p. m. 88.* Augustinum tamen alibi dicere, se habere
 certam fidem circa purgatorium; unde necesse sit dicere, eum aliquid
 de Purgatorio certâ fide tenuisse, & de aliquâ re dubitasse; adeoque
 porrò dicendum sit, eum non dubitasse de purgatorio in genere, id
 est, quòd sit aliquod Purgatorium post hanc vitam: cum qua fide
 certâ possit consistere dubitatio de qualitate pœnæ, quæ infligitur, de
 qualitate peccati, quod punitur; de loco, tempore &c. Nam si quæ-
 ras, quæ sint illa loca, in quibus Augustinus dicat, se habere cer-
 tam fidem circa purgatorium? adducit Bellarminus unum ex *En-
 chir. cap. 110.* ubi Augustinus asserat, orationes & sacrificia prodesse
 animabus; alterum ex *Quest. 2. ad Dulcitium*, & tertium ex *lib.
 21. de C. D. cap. 24.* ubi dicat Augustinus, constare, animas purga-
 ri post hanc vitam: quartum denique ex *cap. 1. de cura pro mort.
 ubi dicat: Non dubium esse, prodesse orationem pro defunctis.* Hæc
 ipsa autem loca sunt, de quibus jam supra vidimus: cum §. XXVI.
 ostenderemus, locum *cap. 24. lib. XXI. de Civ. Dei* non esse genui-
 num; phrasin verò in cæteris locis occurrentem, prodesse animabus
 defunctorum, non statim importare auxilium ad consequendam li-
 berationem à pœnis præsentib⁹ afferendum aut allatum §. XXVII. in-
 dicavimus. Quæ verò deniq; sint verba *Q. 2. ad Dulcit.* quibus dicat
 Augustinus, constare, animas purgari post hanc vitam; nusquam vi-
 dimus à Bellarmino expressum, neque etiam sive quærendo, sive
 divi-

divinando assequi potuimus : quemadmodum & Anonymus nihil in hanc rem in scheda sua ex isto loco adduxit, sed tantum preces pro mortuis rectè & utiliter fieri, inde ostendere voluit, ad thesin 2. & 3.

XXXIX. Quod si fortè Anonymus noster ex locis reliquis ad thesin primam adductis, & à nobis *sup.* §. XXIII. repetitis; de quibus etiam §. XXVI. ostendimus, quòd non dicant, *esse purgatorium, & animas quorundam fidelium ibi detineri*; saltem hoc constare putet, quòd Augustinus agnoverit *purgatorium in genere, id est, quòd sit aliquod Purgatorium post hanc vitam*; sive jam sit, sive demum aliquando futurum, medio inter Christi adventum & iudicium extremum tempore; aut quodocunque tandem placuerit Deo: nihilo plus tamen lucrabitur. Nam præterquam, quòd ista non fuerit doctrina Romana de purgatorio, prout jam antè §. XXV. monuimus; ne eandem quidem, à Pontificia discrepantem sententiam de purgatorio, Augustinum sine dubitatione tenuisse, ostendi potest. Sanè Loca ista omnia *L. II. de Genes. contra Manich. cap. 20. Lib. XXI. de Civ. Dei cap. 13. & 16. & Enarr. in Psal. XXXVII.* respectum aliquem habent ad illa quatuor antè §. XXXV. citata & §. XXXVII. vindicata loca, & vel expressè agunt de loco *1. Cor. III.* vel saltem aliàs respiciunt quæstionem de pœna improborum æterna aut temporali post iudicium: & vel *κατ' ἀνθρώπων* concedunt, quòd dubium est, ut tantò faciliùs excludant, quòd sine dubio erroneum est: vel quoad praxin morum, hoc docent metuendum, cuius eventus incertus est, ut tantò sollicitiùs caveatur, quòd, si non cavetur, intolerabile & æternum futurum est.

XI. Ita, ut ad singula loca descendamus, quæ in *lib. XXI. de Civ. Dei cap. 13. & 16.* habentur, omninò exponi debent, juxta *δευτέρας φρονήσας* S. Doctoris *cap. XXVI.* declaratas, & *sup.* §. XXXVII. à nobis explicatas. Nam *cap. XIII.* disputat *contra opinionem eorum, qui putant criminosis supplicia post mortem causâ purgationis adhiberi*; prout in titulo capituli legimus: aut, *qui nullas pœnas nisi purgatorias volunt esse post mortem*; ut verba in textu ipso habent. Itaque ut illum errorem breviter refutet, sufficere sibi putat, si hanc thesin tueatur, quòd non dentur pœnæ temporariæ post iudicium extremum, sed æternæ respectu omnium, qui tunc punientur; eam interim

rim.

rim sententiam, quæ dicit, dari pœnas temporarias post mortem, sed ante iudicium extremum; hætenus concedit, ne desertâ principali quæstione, de hæc minus principali & magis obscura disputare cogatur. In altero autem loco, qui *Cap. XVI.* habetur, nihil affirmativè de pœnis purgatoriis post mortem, enunciat Augustinus; sed primum de infantibus, qui in Baptismo regenerati, in hac ætate decedunt, neque adeo interim, adultorum instar, actualiter peccarunt, iudicat, eos à posteritate tenebrarum in regnum Christi translatos, non solum pœnis non preparari aternis, sed ne ulla quidem post mortem purgatoria tormenta pati; si quæ forsitan respectu aliorum futuræ sint. Deinde, cum de adultis & quàm facilè in peccata graviora quoque labantur, differit; pœnitentiam mox in hac vita agendam commendat, & ne per aliorum erroneam opinionem credant, se post mortem adhuc purgari posse, monet. *Quisquis, ait, cupit pœnas evadere sempiternas, non solum baptizetur, verum etiam justificetur in Christo, ac sic verè transeat à Diabolo ad Christum. Purgatorias autem pœnas nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium.* An autem pœnæ purgatoriæ, quæ non nisi ante ultimum tremendumque iudicium locum habent, non solum in hac vita, verum etiam post mortem certò futuræ sint? neutiquam desinit. Et notandum est, quod Augustinus medio loco, inter utrumque illud caput, & quidem *Cap. XIV.* prolixè agat de pœnis temporalibus, quibus in hac vitâ subiecta est humana conditio; & *Cap. XV.* disputet, homines non in hac vita, sed in futuri seculi novitate erui de profunditate veteris mali, seu pœnis peccatorum. De pœnis temporalibus autem post hanc vitam, quas articulum fidei Catholicæ constituere dicunt Pontificii, cum maxime locus, occasio & causa agendi esset, non agit Augustinus: sed his quæ diximus pertractatis, varios errores, veræ sententiæ de pœna aterna omnium impiorum oppositos, impugnat, donec tandem occasione ejus erroris, qui Catholicis baptizatis, ex verbis Pauli *1. Cor. 3.* malè intellectis, finem pœnarum spondet; sententiam illam jam aliquibus receptam, de temporariis fidelium quorundam pœnis post mortem, non tamen dissimulatâ mentis suæ dubitatione exponit.

XLI. Similiter in contextu locorum ex *Enarratione in Psal. XXXVII.*

XXXVII. ab Anonymo excerptorum, primò velut intuitu cognoscitur, Augustinum occasione verborum latinæ versionis, *Domine, ne in indignatione tua arguas me, neque in ira tua emendes me*: cum tò arguere & tò emendare distinguendum putaret, & ad posterius declarandum, verba 1. Cor. 3. de quibusdam *quasi per ignem salvandis*, adjungeret; sollicitudinem ac petitionem Davidis his verbis explicare: *Domine, ne in indignatione tua arguas me. Non sim inter illos, quibus diciturus es, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Neque in ira tua emendes me, ut in hac vita purges me: & talem me reddas, cui jam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare nisi quia hlc edificant supra fundamentum, ligna, fœnum, stipulam? Edificarent autem aurum, argentum, lapides pretiosos, & de utroque igne securi essent, non solum de illo æterno, qui in æternum cruciaturus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Et quia dicitur; salvus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis salvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quicquid homo potest pati in hac vita. Nempè loquitur sub persona Davidis Augustinus, & exhibet mentem anxii peccatoris, quæ non solum mala certò eventura; sed & ea, quæ probabiliter eventura judicantur, metuit & declinare nititur. Et quemadmodum supra §. XXVI. monuimus, Augustinum hoc loco tantum indefinitè ignis emendatorii meminisse; non autem, quòd jam sit, & quòd animas non planè in hac vita purgatorum, mox ab excessu è corporibus eò transire oporteat; ita nunc addimus, ex loco parallelo *Enarrat. in Ps. VI.* ubi ferè eadem verba Davidis leguntur, eodemq; modo ab Augustino explicantur, patere; quòd Augustinus ignè emendationis aut purgationis potius ad diem judicii, quàm ad tempus à morte proximum referat: Quod nec ipse Anonymus negare potuisse videtur, quando fatetur, Augustinum in eam sententiam aliquando inclinasse, *quod inter secundum adventum Christi & judicium ipsum tempus aliquod futurum sit, quò purgentur animæ; adeòque in resurrectione mortuorum ante judicium pœna purgationis sint locum habitura.* pag. 6. 7. *Conf. D. Seb. Schmid Co. ad §. 4, 4.**

XLII. Restat locus *Lib. II. de Gen. contra Manich.* de quo breviter monemus; cum totus Augustini scopus in libro illo esset

E

Mani

Manichæos, qui auctorem V. T. calumniabantur, redarguere: ita factum esse, ut in expositione verborum Dei ad Adamum *Gen. II. Maledicta terra erit tibi &c. in sudore vultus tui edes panem &c.* cum ostendere vellet, quod nemo evadat illam sententiam; & videret sibi objici posse, quod non omnes in hac vita tales molestias patientur; Hoc, ait, illi dictum est, qui coluerit agrum suum, qui ista patitur, donec revertatur in terram, ex qua sumptus est, id est, donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum suum interiorius & ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vite hujus hunc laborem pati: post hanc autem vitam non necesse est ut patiatur. Sed qui forte agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terra sua in omnibus operibus suis, & post hanc vitam habebit, vel ignem purgatorii, vel pœnam eternam. Ita nemo evadit istam sententiam. Sed agendum est, ut saltem in hac tantum vita sentiatur. Affert videlicet Augustinus in certamine cum Manichæis, inter alia certa, etiam illud, de quo dubitari poterat, assertum: ut tantò facilius indoctos Manichæos possit compescere. Et negari non potest, Augustinum in his libris non semper rationibus planè solidis & accuratis pugnare, sed sæpè populariter cum illis disputare; quod & ipse sub initium *Lib. I.* non obscurè indicavit. Et hæc sunt, quæ Augustinum in quæstione de purgatorio non dubitare, sed *λογικῶς* ostendere debebant, iudice Anonymo: qui nunc potius agnoscat, totam probationem, quæ ex Augustini testimoniis pro Pontificiis affertur, in terram cecidisse: ut sua ei verba reddamus, ex pag. 7.

XLIII. Quod si tamen miretur aliquis & quærat, quâ ratione Sanctus Pater in illas qualescunque cogitationes & saltem incertam opinionem de purgatorio pervenerit? dabimus ei responsum ex B. Chemnitii *Exam. Conc. Frid. P. III. de Purgat.* p. m. 174. Cùm vulgò multi contenderent, orationes pro mortuis, quas non inanes esse præsumebant, adeò esse efficaces, ut per eas etiam illi, qui sine penitentia in peccatis contra conscientiam mortui essent, Deo post mortem reconciliarentur & salvarentur; Alii verò ex Scriptura & ex veterum sententia contra disputarent, unumquemque post hanc vitam àta judicari, prout in hac vita se gessit, & orationes pro mortuis esse vivorum commonefactiones, confessiones & consolationes; Augustinus satisfacturus utrisque, mediam quandam viam excogitavit, &

si modo persuasionem illam de impenitentibus posset tollere, aliquid putavit vulgi opinionibus de efficacia orationis pro mortuis concedendum esse. Et sane aliàs constat, Augustinum, etsi *Vir sanctus, integer & acuto ingenio præditus* fuerit, fuisse tamen etiam impen- sè credulum; : quod & Erasmus agnovit annotat. ad cap. XXI. *Job.* & non solùm in præsentī negotio, verùm & aliàs cessisse tem- porum suorum consuetudini, etiamsi vitii aliquid subesset, vel ipse fatetur *Ep. LXIV. & CXIX.*

XLIV. Hoc ipsum verò probè notandum est, quòd Augusti- nus, cùm aliorum sententiis cederet, & opinionem, quam simplici- ter rejicere poterat, quodammodo admitteret; tamen fundamen- to firmo carere non dissimulaverit. Nam sicut ad quæstionem, *utrum intersit aliquid ad inferendam vel augendam miseriam post hanc vitam spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fue- rint?* ita respondet: *Non secundum opinionem utcunque vulgatam, sed potiùs secundum religionis nostræ sacras literas est videndum Lib. de Cura pro mort. cap. 2.* Ita cùm de altera quæstione, sintne pœnæ aliquæ temporales à fidelibus in hac vita non exantlatæ, post mor- tem demùm tolerandæ? nihil inveniret in *sacris literis religionis nostræ*, quod sententiæ affirmativæ certum ac solidum fundamen- tum præberet; maluit *opinionem illam utcunque vulgatam* in censu opinionum dubiarum relinquere potius, quàm ut eam tanquam certam & firmiter credendam suo calculo comprobaret. Confer quæ suprà §. V. diximus ex ejusdem *Epist. XIX.*

XLV. Anonymo autem & sociis, si verba Augustini mini- mè permittant commodè explicari; dicemus tandem cum ipso Au- gustino, quod is de Chrysofostomo dixit *Lib. I. contra Julianum cap. 6. Vobis Pelagianis (Pontificiis) nondum litigantibus securiùs lo- quebatur.* Optamus etiam ab adversariis expendi, quæ *Bellarminus Lib. IV. de Pont. Rom. c. 14. p. m. 543. scripsit; multa esse in Epistolis de- cretalibus, quæ sunt solùm opiniones Pontificum de re quam decla- rant, quæ non faciunt eam esse de fide.* Quidni multò magis in- scriptis Augustini & similium Doctõrum?

XLVI. Imò dicant nobis tandem, ecurr Augustinum, vel in- vitum, Patronum habere velint? quem Bonifacius II. Papa Romanus anathematis fulmine è cathedra ferit? certè, *con- tra Rom. Ecclesiam instigante Diabolo superbiisse*, pronunciavit in

Epistola ad Eulalium: quam licet aliqui supposititiam esse dicant; *Hardingus* tamen, *Lindanus*, *Pigbius*, *Turrecremata*, *Turrianus* & *Stapletonus* velut genuinam citant: & extat pars ejus in ipso *Corpore Juris Canonici* c. Adhoc, dist. 89. integram etiam & inter decreta *Bonifacii* Papæ relatam exhibet *Dominicus Nicolinus* Tomo II. *Concil.* p. 443. Tantum.

COROLLARIA.

I. Augustinus non statuit, in S. Eucharistia fieri sacrificium propriè dictum: sed dicit *sacrificium altaris* sic offerri, prout *sacrificia* quarumcunque *elemosynarum* offeruntur. *Enchir.* ad *Laur.* cap. CX. vid. *suprà* §. XX.

II. *Sacrificium altaris* pro aliquo offerri, Augustino idem est, ac *memoriam* ejus fieri ad *altare* Domini, & orari Deum, ut intuitu *filii* in *mortem* traditi *peccata* dimittat & *miserencordiam* impertiat. *Lib. IX. Conf. cap. XIII.* vid. *suprà* §. XIII. & XXVIII.

III. In loco suspecto aut spurio *Lib. XXI. de Civ. D. cap. XXIV.* ex verbis *Matth. XII. v. 32.* ubi de peccato in Sp. S. dicitur; *non remittetur neque in hoc seculo neque in futuro*; colligitur, esse quosdam, quibus *etsi non in isto, tamen remittetur in futuro*; seu quibus post *pœnas* quas patiuntur *spiritus mortuorum*, impertietur *miserencordia*: Sed in alio genuino loco *Lib. ejusd. cap. XIII.* dicit Augustinus, *remitti in futuro seculo*, idem esse, ac *futuri seculi eterno supplicio non puniri.*

IV. Si Augustini verba de *remissione peccatorum* & *miserencordia* post *mortem* impetranda nimis urgeantur; quidni tandem dicendum fuerit, *remissionem peccatorum*, ex Augustini sententia, respectu fidelium, quibus in hac vitâ *remissio* non contigit, usque ad diem *judicii extremi* differri: & hanc esse *remissionem* ipsorum *debitorum* seu *remissionem culpæ*, quæ tamdiu differatur. Sane huc respicere videntur verba *Enarr. in Psal. XXXVII. §. XXIII.* & *XLI. citata*, & verba *Lib. IX. Conf. cap. XIII. citata §. XXVIII.*

V. Stante sententiâ de *purgatorii pœnis* per *indulgentias Pontificias* abbreviandis aut tollendis, non malè dixit metallifor *Schneebergensis* ad *præconem indulgentiarum*: *Neh wie muß der Papst so ein unbarmherziger Mann seyn/ der um eines Pseunings willen eine arme Seel so lang im Fegfeuer freisten läst; möchte er*

er doch / so er anders keine Barschafft hette / etlich hundert tausend
Gülden auffbringen / und die armen Seelen uff einmal loß ma-
chen. Wolten doch wir arme Leut gerne die Hauptsummen
und was für interesse und Unkosten drauff gangen wären auffrich-
tige Rechnung zur Hand erlegen. *Matthes. de vita Luth. Conc.*
XIV. p. 159. & conc. XVII. p. 198. b.

VI. Quanta autem fuerit liberalitas, an profusio? Alexan-
dri VI. qui A. 1494. die Paschatos, mille annorum indulgentias pec-
catorum mortalium, & vices mille annorum indulgentias quotidi-
anorum peccatorum dedit omnibus Christianis, qui certam pre-
cum formulam ter ante imaginem S. Annæ recitaverint; easque
indulgentias confirmavit! ut legitur in *Hortulo anime* edit. Argent.
1507. Ita profectò per opus parum laboriosum plurimi purgato-
rias pœnas omninò evaserint.

VII. B. Rhenanus existimat; quòd nundinæ in urbibus Germa-
norum celebrioribus retinent appellationem Missarum (Messen)
tractum esse ex antiqua consuetudine Ecclesiastica conveniendi in
majoribus festivitibus ad communionem Eucharisticam: Sed
cùm publica & longè maxima querela omnium bonorum virorum
diu fuerit, quòd Missæ turpiter profanarentur ad quæstum (ut dicunt
majores nostri in *Aug. Conf. art. de Missa pag. 24.* nec negare po-
tuerunt, sed ipsi hos abusus abrogari optârunt, qui nomine Caroli
Cæsaris & Principum Romano-Catholicorum censuram Aug.
Conf. ediderunt) ita commodior etymologia, quàm illa Rhenani,
haberi potest.

VIII. Festiva, an inepta? est Scriptoris Pontificii interpreta-
tio verborum *Psalmi VIII. v. 7. 8. & 9. Omnia subjecisti sub pedibus*
jus; id est Pontificis Romani: *Pecora campi*, id est, homines vi-
ventes in hac terra. *Pisces maris*, hoc est, animas in purgatorio.
Volucres cæli, hoc est, animas beatorum, quas Papa canonizare
potest. Quæritur tamen, an hæc interpretatio ideò, quòd inter-
pres missionem legitimam habuerit, præferenda sit sensui illi quem
contextus & analogia fidei lectori cuilibet suppeditant? Ita vide-
tur Anonymo nostro sub finem schediasmatis. Confer supra §. II.

IX. Simile priori est quod Scholastici in receptaculis anima-
rum præter *aërem*, quem Satan occupat, *ignem & aquam* ex *Psalmo*
LXVI. 12. & terram è *Jobi XVII. 16.* inveniunt.

X. Ne:

X. Negatā doctrinā de infallibilitate Pontificis Rom. non tantū purgatorium, sed tota structura Romano-Catholicæ Religionis cadit. Argumenta ad hoc probandum ipsi Pontificii scriptores suppeditabunt.

Non fingunt animas tantū purgarier igne
Papicolæ, postquā corpora morte cadant;
Sed fingunt etiam Patres hoc dogma tueri,
Error ut ipsorum nomine tutus eat.
Ex illis aliquem tua cura, SCHUMANNE, refutat;
Fac, age; sic veri cultor & ultor eris.

JOHANNES MUSÆUS, D. & P. P.
p. t. Rector.

Eusebies postquam SCHUMANNUS signa secutus
Tractare didicit arma & hostes sternere:
Mascula vis animi & doctæ solertia mentis
Mox visa Divæ placuit, & miles simul.
Hinc prodire jubet SCHUMANNUM & mittere tela;
Fortemque, cum quo militet, poscere virum.
Dumque illi apparet, qui *purgatoria* Papæ,
Anonymus, servare cuperet *mœnia*;
Hunc ille aggreditur, primō & certamine felix
Hostemque & ipsa mœnia ferit fortiter.
Eusebie plaudens, Euge! hic miles meus, inquit,
Centurio posthac fiet, aut signifer bonus.

Eximio Dn. Magistro SCHUMANNO, de præclaris conatibus felicibus, successu animitus gratulatus

f.


PRÆSES.

ERRATA EMENDANDA.


§. VI. lin. 6. à fine, lege, *minimè*; lin. ead. & seq. lege, *antiquitatis*; lin. 5. & 4. à fine, lege, *Ecclesia*. lin. 3. à fine, *priscis*.
§. XXII. lin. 3. à fine, lege, *animabus defunctorum*. §. XXVII. lin. 3. à fine, lege, *in illis non constitui tres classes*.

F I N I S.





(46)
abere
nac
ne qu
e sua
ne ta
plura
Eru
UIS
ibus
e be
omi
bibit
nata
ala
Par
sua.
ia n
poll
mic
TR
ra fe
dis
rop
a de
ia p
pros
ibu
umc
und
lare
nali
BR
ola
ner
neb
nqu
fert
EO



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B. C. D.
DISSERTATIO HISTORICO - THEO-
LOGICA

De
PURGATORIO

PONTIFICIORUM,

**Utrum claris testimoniis S. Augustini
solidè probari possit?**

Scriptori Anonymo Pontificio opposita,
& Auxiliante Divini Numinis gratia in

Illustri Academia Jenensi
P R Æ S I D E

DN. JOH. GVILIELMO BAJERO,

SS. Th. D. & Prof. Publ.

Dn. Patrono ac Præceptore suo omni observantiæ & amo-
ris cultu æternum prosequendo

Publicæ ventilationi exposita

à
M. WOLFFG. CONRADO Schumann/
Gunzenhusâ-Franco.

IN AUDITORIO THEOLOGICO
Ad diem 22. Mensis Novembr. Anno M. DC. LXXIX. Nov. 1679

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.